

E P I L O G I U S.

quis, Omniscentiam ad Dei naturam pertinere: sed tantum sunt occasio vel incitamentum, quô intellectus erigitur ac inducitur, ut ideas Dei & Omniscentiae attentiùs contempletur, ac inter se conferat, ac sic hanc in illâ necessariò includi deprehendat.

Jam verò quoniam omnes libri ex orationibus inter se connexis copulatisque constant atque conflantur, evidentissimè consequitur, summam maximamque, quam rebus verè accuratèque cognoscendis, intelligendisque præbere queunt utilitatem, in eô solô consistere, quòd Lectori cogitationem injicient, cumque excitent ad ideas, quas jam rerum in mente efformatas habet claras atque distinctas, quæque in illis libris vocabulis denotantur, contemplandas, inter se comparandas, ac, num una alteri includatur aut conexa sit, examinandas: nullâ verò ratione intellectum in veram rerum cognitionem ex aut per se posse deducere; multò minus menti ideas claras distinctasque, si antea infusa, iuditæque non fuerint, indere, aut infundere, aut imprimere, aut aliò aliquò modò ingenerate.

His prælibatis, ad suprà motam difficultatem amovendam dicimus, S. Scripturam, quoniam cum aliis libris in eô, quod ex orationibus componatur, convenit, etiam cum iisdem in veritate docendâ convenire debere: atque adeò tantum conducere ad lectores suos excitandos compellendosque, ut de rebus, de quibus in illâ sermo fit, eogitent, in illas inquirant, & num ita, quemadmodum proponitur, cum iis comparatum sit, examinent. Quod ut præstent, Philosophia, & quicquid jam cognitum atque perspectum habent, in subsidium vocandum, quò, quî prædicatum subjecto conveniat, perspiciat, enunciationis veritas eruatur, & simul verus sensus eliciatur atque educatur. Unde liquet veritatem non semper, in Scripturæ per Philosophiam interpretatione, sensum præcedere debere: adeoque minimè supervacaneum esse, Scripturam adire atque consulere; non quidem ut illa veritatem aut per se mentibus nostris ingeneret, aut clariorem distinctioremque reddat, aut magis firmam faciat: sed ut, quemadmodum diximus, occasionem materialique cogitandi suggestat, & quidem de talibus, de quibus forsitan alias nunquam cogitassemus. Quorum etiam summam hominum beatitatem concernentium, adeoque illis præ cæteris omnibus conducentium; non autem veritatis docendæ respectu ejus utilitas, & maxima, & aliorum librorum utilitati longè anteponenda est: quemadmodum passim omnium librorum utilitas pro rerum de quibus agunt, præstantiâ aut vilitate magni aut parvi ducitur atque æstimatur.

Atque ex his etiam luce meridianâ clarius apparet, quam longè à veri trahite deflectant, ac miserè errent illi Theologi, qui ex solarum S. Literarum lectione, sine ullâ aliâ rerum consideratione atque contemplatione, solidam S. Theologiæ notitiam hauriri posse, sibi persuaserunt, atque aliis persuadent,